

EPISTULA LEONINA XXXII

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLA OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

ARGUMENTA

SENTENTIOLA CAROLI LINNEI - MYTHI GRAECORUM:
Symplegades – FABELLA GRIMMIANA: Mensula cibifera (*"Tischlein deck dich!"*) – **VOCABULA DOMESTICA (I).**

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS
LATINAM LINGUAM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.
S.V.B.E.E.V.

Cara lectrix, care lector,

en iam habes Epistulam Leoninam tricesimam secundam. Cum in duabus Epistulis praeteritis (EL XXX et XXXI) rettulerim de rebus gravioribus historicis philologicisque, hac in Epistulâ Leoninâ animum Tuum recreare studeo et mytho Graeco et fabellâ fratum Grimmianorum puerili, c.t. “Mensula cibifera”. In fine invenies vocabula domestica priora; sane interdum haud facile est tales terminos technicos aut in Latinis litteris invenire aut secundum grammaticam Latinam novis rebus nova nomina imponere. At nos Latinitatis vivae defensores oportet ne aspernemur moderna vocabula cottidiana et technica et similia huiusmodi; nam, ut ait Carolus Linneus magnus Suetus plantarum animaliumque nomenclator: “Nomina si pereunt, perit etiam rerum cognitio.”

Utinam Tibi placeant verba Latina quae sequuntur.

D.21. m.Mart. a.2010 medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>



**«NOMINA SI PEREUNT,
PERIT ETIAM RERUM COGNITIO»
CAROLUS LINNEUS
(1707-1778)**

MYTHI GRAECORUM (XVIII) : Symplegades

Mythi Classicae Antiquitatis a Gustavo Schwab Theodiscê narrati,
a Nicolao Groß Latinê redditi.



De Symplegadibus

Phineus grato animo commoto valedixit servatoribus sui, qui profecti sunt ad nova atque varia pericula subeunda. Primo per quadraginta dies impediti sunt cauris, usque dum sacris precibusque ad duodecim deos omnes factis id adepti sunt, ut iter accelerarent. Optimê navigabant, cum subito iam procul audiverunt strepitum magnum. Quae erant et riparum resonantia et stridor aquae marinae compressae et crepitatio Symplegadum, quae iterum iterumque una cum alterâ collidebantur unaque ab alterâ repellebantur. Tiphys gubernator vigilans constitit ad gubernaculum. Euphemos heros in nave surrexit dextrâ manu planâ tenens columbam. Phineus enim vaticinatus erat, si columba intrepidê inter saxa per volavisset, Argonautis quoque permissum iri, ut audacter per navigarent. Modo saxa aperiebantur: Euphemus columbam emisit; omnes capita sustulerunt animis suspensis. Columba volavit per media saxa, at iam iam eadem appropinquabant, mare spumans cum stridore nubi simile effervuit; fremitus erat in aëre et in aquâ. Nunc saxa colliderunt, sed pennis caudae extremis resectis columba feliciter per volaverat. Tiphys autem magnâ voce remiges adhortatus est, sed tum saxa denuo aperta sunt, ut fluctu in spatum intersitum influente navis intraheretur. Nunc pernicies Argonautis imminebat: unda ingens iis obvolvebatur, qua aspectâ omnes capita declinaverunt. At Tiphys iussit a remigando desistere, ut undâ spumosâ innoxîe sub carinam provolutâ navigium super saxa tolleretur, quae erant unum ad alterum annatura. Heroes tam vehementer laborabant, ut remi incurvarentur; nunc Argo gurgite denuo in media saxa derepta est. Iam saxa utrimque alvo navigii illidebantur; tum Minerva dea tutatrix invisibiliter eam impulit, ut feliciter

pervaderet Symplegadibusque ne quid distereretur nisi puppis tabulae extremae. Heroes cum reviderent aethera et mare apertum, metu mortis superato respirantes sibi visi sunt ab ipsis inferis emersisse. »Hoc« Tiphys vocavit »non est factum vi nostrâ. Sensi enim post me valere Minervae manum divinam, cuius vigore navis per saxa est propulsa! Nunc nihil iam nobis erit timendum; hōc periculo superato omnes labores ceteri a Phineo dicti nobis sunt faciles.« At Iason capite maestê concusso: “Bone Tiphys” inquit “ego temptavi deos eo quod Peliam sivi mihi hoc inceptum imponere; melius sivissem ab illo me in partes concidi! Nunc noctes post dies dego gemens, non de me sollicitans, immo, de vestrâ tantum vitâ et salute curans necnon deliberans, quomodo vos e periculis tam atrocibus servans patriae reddam integros.« Sic heros locutus est, ut sodales temptaret. At illi Iasoni laetê adiubilantes postulabant, ut porro proficiserentur.

**MYTHUM ARGONAUTARUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS
NICOLAUS GROSS
<http://www.leolatinus.com/>**



DE MENSULÂ CIBIFERÂ

Aliquando erat sartor, cui erant tres filii et una tantum capra. Capra autem, cum eius lacte omnes alerentur, egebat pabulo bono ideoque cottidie ducenda erat ad pascua. Quod faciebant filii aetatis ordine. Aliquando filius maximus natu illam adduxit ad coemeterium, ubi nascebantur herbae sapidissimae, ibidemque illam sivit devorare et circumsilire. Vespere, cum esset tempus domum eundi, ex illâ quaesivit: "Heus capra, esne satura?" Capra autem respondit:

**"Tam satura nunc sum,
ut nullum velim folium!
meh! meh!"**



"Ergo veni tecum domum," puer dixit,

**resticulâ apprehensâ illam duxit in stabulum,
ubi alligavit. "Quid nunc," vetus sartor inquit,
"Caprane satis est pasta?" "O," filius inquit, "illa
tam satra nunc est, ut nullum velit folium."
Pater autem voluit rem audire ex ipsâ caprâ,
descendit in stabulum, bestiam permulcens
interrogavit: "Heus capra, esne satra?" Capra
autem respondit:**




**"Vae mihi, qui sum satra?
Fossulas persilui, nulla prata
invêni nulla folia amata
meh! meh!"**

**"Eheu!" sartor inquit „quid audio ex te!" Sursum
cucurrit, puerum est allocutus: „Heus
mendacissime, qui contendisti capram esse
saturatam, sed eam sivisti esurire?" et tam
vehementer irâ incensus est, ut perticâ
mensoriâ de pariete sumptâ filium foras fugaret.**

**Postridie alterum filium ordo vocavit; qui locum
quaesivit bonis herbis abundantem, quas capra
devoravit omnes. Vespere, cum domum ire
voluit, ex illâ quaesivit: „Heus capra, esne
satura?" Capra autem respondit:**



**"Tam satra nunc sum,
ut nullum velim folium
meh! meh!"**





Convivis congregatis filius scriniarius medio in conclavi mensulâ collocatâ: »Heus mensula« inquit »obtege te!« At mensula nullo modo commota tam vacua mansit quam alia mensa, quae sermonem non intellegat. Tum socium miserrimum, cum mensulam suam cum aliâ permutatam esse cognosceret, puduit, quod visus est mendax. Cognati autem eum irridentes neque pôti neque pransi domum reverterunt. Pater autem pannis resumptis perrexit sarcire atque vestes facere, filius autem apud magistrum scriniarium denuo opus suscepit exercendum. Filius minor natu tiro factus erat molitoris. Tirocinio finito magister: »Quia« inquit »tam bene te gessisti, tibi dono asinum generis extraordinarii: Qui neque carrum trahit neque fert saccos.« »Ad quemnam finem idem est utilis?« socius iuvenis interrogavit. »Qui exspuit aurum« molitor respondit. »Eum si in panno collocaveris et dixeris >Bricklebrit<, hoc animal bonum nummos aureos tibi sputet ex corpore et anteriore et posteriore.« »Hoc« socius inquit »est pulchrum«, magistro gratias egit et profectus est quoquo terrarum. Quandocumque egebat auro, asino suo nihil dicebat nisi >Bricklebrit<, deinde pluebat nummos aureos et socio molitori nihil

faciendum erat nisi illos colligere. Quocumque
 veniebat, nihil emebat nisi optimum, et quo quid
 maiore pretio, eo libentius, nam semper nummis
 abundabat. Cum aliquamdiu per terras
 circumvagatus esset, intra se cogitavit:
 >Patrem petam; si venero cum asino aurifero,
 ille iram suam oblîtus me benignê recipiet<.
 Accidit autem, ut hic filius veniret in eandem
 cauponam, in quâ fratri suo mensula permutata
 erat. Asinum manu cum duceret, caupo bestiam
 volebat secum abducere et alligare, sed iuvenis
 socius: »Ne nimiam des operam, equum meum
 griseum ipse in stabulum ducam et ipse
 alligabo, ut sciam, ubi stet.« Caupo hoc miratus
 sensit aliquem, cui ipsi asinus esset curandus,
 non multum habere corollarii. Cum autem
 peregrinus duos nummos aureos e sacculo
 exemptos ei daret et diceret, ut sibi aliquid boni
 emeret, caupo oculis emissis rapidê attulit cibos
 quam optimos. Cenâ sumptâ conviva quaesivit,
 quantum
 deberet.
 autem
 pecuniae
 nolens dixit
 nonnullos
 nummos
 esse
 Tum socius
 sacculo
 sed sensit
 esse iam consumptos. »Exspecta« paulisper,
 inquit »caupo, ibo aurum allatum«, et abiit
 pannum secum auferens. Caupo cum nesciret,
 quidnam hoc sibi vellet, animo curioso summis
 digitis illum secutus, portâ stabuli a peregrino
 conclusâ per foramen portae inspexit.

Peregrinus autem asino substravit pannum,
 vocavit >Bricklebrit <, et sine morâ bestia
 coepit tantum auri spuere e parte corporis
 anteriore et posteriore, ut terra imbre aureo




pecuniae
 Caupo
 alterius
 parcere
 illi
 etiam
 aureos
 addendos.
 manum
 indidit,
 nummos

vehementer verberaretur. »Babae!,« caupo inquit, »hic nummos celeriter percutit! Tale marsuppium haud malum est!« Conviva autem pecuniâ solutâ cubitum iit, sed caupo nocte subrepsit in stabulum, asino nummario abducto



alium asinum in illius locum subduxit. Postridie primâ luce socius cum asino profectus opinatus est se secum abducere asinum auriferum. Meridie autem patrem advénit, qui gavisus est illum revidens et libenter recepit. »Quid factum est de te, mi fili?«

vetulus interrogavit. »Molitor factus sum« filius respondit. »Migratione factâ quidnam tecum attulisti?« »Nihil nisi asinum«. »Asini hōc loco satis multi sunt« pater inquit »mallem futurum fuisse, ut afferres bonam capram.« »Ita« filius inquit »sed non est asinus vulgaris, sed asinus aurifer: Si dixero >Bricklebrit<, hoc bonum animal tibi spuet tot nummos aureos, ut totus pannus contegatur. Advoces, quaequo, omnes cognatos, eos omnes faciam divites.« »Hoc placet« sartor inquit »deinde non iam necesse erit suendo vexari«, prosiluit cognatos convocaturus. Omnibus congregatis molitor illos iussit locum concedere, pannum evolvit, asinum in conclave adduxit. »Nunc attendite« dixit et vocavit >Bricklebrit<, at ea quae decidērunt, nequaquam fuêre nummi aurei, et apparuit istam bestiam artis auriferae esse prorsus imperitam, nam non omnis asinus tantum proficit quantum ille. Tum molitor miserrimus spe deceptus animadvertisse esse fraudatum, et veniam petivit a cognatis, qui haud divitiores revertērunt quam advenerant. Quid plura? Pater non potuit quin acum resumeret et filius quin quaestum sibi pararet apud molitorem. Frater autem tertius susceperat tirocinium artis



**tornandi, quae, quia
est ars difficilis, ei fuit
diutius discenda quam
illis aliae. Fratres
autem maiores ei per**

**litteras nuntiaverunt, quam male sibi res
evenisset et quomodo vespere ultimo a caupone
essent privati pulchris rebus mirificis. Tirocinio
autem finito tornator magister socio, quia is
bene se gesserat, donavit quandam saccum
dicens: »Cui inest baculus.« »Saccum quidem
subbaiulabo, qui erit mihi utilis, sed quid faciam
baculo, qui inest? Quo saccus gravabitur.« »Hoc
tibi dicam,« magister inquit, »si quis quid tibi
male fecerit, dicas, quaequo, verba quae sunt
>Exi e sacco, bacule!< et iam baculus e sacco
exsiliat inter homines istosque tam hilariter
suggillabit, ut per octo dies nullo modo se
moveant; nec idem baculus desinet sugillare
antequam dices >Bacule, redi in saccum!<.«**

**Gratiis actis socius saccum subbaiulavit;
quandocumque aliqui ei molestias afferebat,
dicebat: "Exi e sacco, bacule!"; tum sine morâ
baculus e sacco exsiliebat et unum post alterum
sugillabat vestem aut colobium vehementer
excutiens. Iuvenis tornator ad cauponam illam
vespere perveniens, ubi fratres erant fraudati:
»Licet« inquit »inveniantur mensula cibifera et
asinus aurifer et similia: licet hae res sint
bonae, quas haud parvi facio; at haec omnia
nihil sunt, si comparantur cum thesauro, quem
comparatum mecum fero hôc sacco.« Caupo
auribus arrectis: >Quidnam<, cogitavit, >per
deum Fidium, istud est?. Hic saccus certe plenus
est lapidibus pretiosissimis; aequum est hanc
quoque rem a me possideri, nam omne trinum
bonum est<. Hora somni cum esset, conviva
scamno se incubuit necnon saccum suum cervîci
supposuit. Caupo autem, cum putaret convivam
iam artê obdormivisse, adiit, perquam lentê
atque cautê saccum movebat et trahebat**



experiens, num eum posset abstrahere aliumque illius loco supponere. At hoc iam diu exspectaverat tornator. Caupo modo volebat saccum animosê abstrahere, tum tornator

vocavit: »Exi e sacco, bacule!« Deinde sine morâ bacellus e sacco evectus cauponem tam vehementer et cauponis dorsum et nates percutiebat, ut iste clamaret miserabiliter, sed quo maiore voce clamabat, eo vehementius dorsum suum pulsabatur a baculo, usque dum tandem lassatus in solum decideret. Tum autem tornator: »Nisi« inquit »reddideris mensulam cibiferam et asinum auriferum, saltatio repetetur.« »Iam desine,« caupo questus animo depresso, »Libenter reddam omnia, si quidem curaveris, ut in sacco maneat iste gnomus exsecrabilis!« Tum socius: »Utar clementiâ, sed cave, ne iterum agas maligne!« Deinde vocavit: »Bacule, redi in saccum!« ut ille quiesceret. Postridie mâne tornatur cum mensulâ cibiferâ et asino aurifero domum migravit ad patrem. Filium revidens sartor gavisus quaesivit ex eo, quidnam didicisset in regione peregrinâ. »Mi care Atta,« ille respondit, »factus sum tornator.« »Sanê ars sollertissima,« pater inquit, »migratione factâ quidnam tecum attulisti?« »En rem pretiosam,« filius respondit, »baculum e sacco exeuntem.« »Vah!« pater vociferatus »baculum! Quem afferre non fuit operaे pretium! Talem tibi




lixero >Exi e sacco, o exsiliet et cum isto

qui male mihi vult, saltat saltationem fatalem.

Hôc autem baculo recuperavi mensulam cibiferam et asinum auriferum, quos caupo trifur furatus erat fratribus meis. At nunc voca illos ambos et invîta omnes cognatos, ut eos saturem et esculentis et potulentis eorumque sacculos auro compleam.« Sartor autem vetulus huic promisso parum confidebat, sed denique cognatos adduxit. Tum tornator pannum conclavi imposuit, asinum auriferum introduxit, fratri dixit: »Nunc, care frater, loquere cum asino.« Molitor autem dixit: >Bricklebrit<, et statim nummi aurei decidêrunt in pannum, quasi exortus esset imber rapidissimus. Deinde tornator mensulâ allatâ dixit: »Care frater, loquere cum eâ.« Vix autem scriniarius dixerat »Mensula, obtege te!«, iam mensula erat obiecta pulcherrimisque patinis obsita. Tum facta est cena pollucibilis, qualem sartor in domo suâ numquam habuerat antea. Itaque sartor acum et filum et perticam mensoriam et levigatum armario reclusit et unâ cum tribus suis filiis vivebat laetê atque magnificê.

At quonam pervenit illa capra, cuius causâ sartor fugaverat tres filios suos? En audi, hoc tibi dicam: Ea, cum sui pudêret capit is calvi, cucurrit ad cavernam vulpis, quo se abderet. Vulpes mas cum domum veniret, e tenebris a duobus oculis magnis ardentissimis tam minaciter aspectus est, ut territus recurreret. Tum ursus in eum incidens cum animadverteret vulpem esse valdê perturbatum, dixit: »Heus frater vulpes, quid de te, cur vultus tuus est tam contortus?« - »Eheu,« respondit vulpes, »in cavernâ meâ sedet bestia quaedam ferocissima, quae me aspectavit oculis ardentissimis.« - »Istam« ursus inquit



»mox expellamus«, cum vulpe iit ad cavernam
 eamque inspexit; at cum oculos ardentissimos
 aspiceret, ipse cohorruit: quia cum bestiâ tam
 atroci nullam rem habere voluit, ipse fugâ
 salutem petivit. Tum in eum incidit apis, quae,
 cum animadverteret illum se non bene habere,
 quaesivit ex illo: »Heus urse, vultus tuus est
 morosissimus, ubi remansit hilaritas tua?« -
 »Tu quidem« ursus inquit, »melius te habes. At
 in domo vulpis sedet bestia atrocissima oculis
 torpidis instructa, quam non possimus
 expellere.« Apis autem dixit: »Miseret me tui,
 urse, equidem sum miserum animalculum
 infirum, quod vos in viâ non respicere soletis,
 at tamen puto me posse vos adiuvare«. Deinde
 apis volavit in cavernam vulpis, consêdit in
 caprae capite tonso tamque vehementer
 pupugit, ut capra prosiliret, vehementer
 micciret, tamquam furore correpta curreret
 quoquo terrarum; neque ullus usque ad hanc
 horam scit, quo ista capra cucurrerit.

**Hanc fabulam Grimmianam
 e theodisco sermone in Latinum convertit
 Nicolaus Groß
 LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

VOCABULA DOMESTICA (I)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê redditâ

**CORBEIL, Jean-Claude/ ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch
Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett
Sprachen) 2003.**

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispânicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem primam, quae spectat ad res domesticas (VII. = VOCABULA DOMESTICA I. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I.ASTRONOMIA – II. TERRA – III.REGNUM PLANTARUM –
IV.REGNUM ANIMALIUM – V.HOMO – VI.NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII.DOMESTICA – VIII.PLASSATIO
DOMESTICA ET OPERA HORTULANA – IX.VESTIMENTA –
X.INSTRUMENTA PERSONALIA – XI.ARS ET ARCHITECTURA –
XII.COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA –
XIII.TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV.ENERGIA – XV.SCIENTIAE
– XVI.SOCIETAS - XVII. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe per facile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector,

habeas primam partem domesticam huius enchiridii singularis vocabulis Latinis ditificatam (**VOCABULA DOMESTICA I**).

Nicolaus Groß
LEO LATINUS
<http://www.leolatinus.com/>

THEODISCE	ANGLICE	FRANCOGALLICE	HISPANICE	ITALICE	LATINE
p.243 HAUS	HOUSE	MAISON	CASA	CASA	DOMUS , -ŪS F.
p.244 ANLAGE	LOCATION	EMPLACEMENT	DISPOSICIÓN	DISPOSIZIONE	DISPOSITIŌ , -ŌNIS F.
Außenansicht eines Hauses	exterior of a house	extérieur d'une maison	exterior de una casa	esterno di una casa	cōspectus exterior
Zierbaum	ornamental tree	arbre d'ornement	árbol ornamental	pianta ornamentale	arbor topiāria
Zaun	fence	clôture	vallado	staccionata	saepēs , -is f.; saepīmentum , -ī n.
Gemüsegarten	vegetable garden	jardin potager	huerto	orto	hortus olitōrius [ULP.dig.50,16,198]
Terrasse	patio	terrasse	terraza	patio	xystus , -ī m. [CIC.Acad.2,9]
Giebel; Giebelfeld	gable	pignon	hastial	timpano	fastigium , -ī n.; tympanum , -ī n. [VITR.3,5,12]
Belüftungsfenster	gable vent	évent de pignon	respiradero	griglia aerazione	di fenestella *aërophora
Dachfenster	skylight	lanterneau	lucemario	lucernario	fenestella tēctī
Blitzableiter	lightning conductor	paratonnerre	pararrayos	parafulmine	*alexiceraunon , -ī n. [ngr.]
Kaminaufsatz	chimney pot	mitron	caperuza de la chimenea	comignolo	obtegimentum fūmāriū
Schornstein	chimney	cheminée	chimenea	camino	fūmārium , -ī n.
Dach	roof	toit	tejado	tetto	tēctum , -ī n.
Gesims	cornice	corniche	cornisa	cornicione	corōna , -ae f. [VITR.3,5,11]
Treppenvorbau	stone steps	perron	escalinata	scala esterna	scāla externa

Kellerfenster	basement window	fenêtre de sous-sol	ventana del semisótano	finestra del seminterrato	fenestra hypogēi
Hecke	hedge	haie	seto	siepe	saepēs vīva
Rasen	lawn	pelouse	césped	prato	caespes, -itis m.
Beet	bed	massif	cuadro	Aiuola	āreola, -ae f.
Gehweg	pavement	trottoir	acera	marciapiede	crepīdō viāria
Vorbau	porch	porche	porche	portico	porticus, -ūs f.
Zufahrtsweg	driveway	entrée de garage	entrada del garaje	vialetto di accesso	via +accessōria
Garage	garage	garage	garaje	garage	stabulum raedārium
Regenrohr	downpipe	descente de gouttière	bajada de aguas	pluviale	tubus pluviālis
Dachrinne	gutter	gouttière	canalón	grondaia	stillicidium, -ī n.; colliciae, -ārum f.pl.
Mansardenfenster	dormer window	lucarne	tragaluz	abbaino	fenestella subtegulāna
Rabatte	border	bordure	ariate	bordura	antēs, -is m. [pl. VERG.Georg.2,417; COLUM.10,376; PAUL.Fest.p.16M.]
Gartenweg	garden path	allée de jardin	enlosado del jardín	vialetto del giardino	sēmita hortēnsis
Böschung	bank	déclivité du terrain	desnivel	scarpata	dēclīvitās, -ātis f.
Schuppen	shed	remise	cobertizo	rimessa	tugurium, -ī n.
Grundstücksgrenze	property line	limite du terrain	lindero	confine di proprietà	cōfīnium proprietatīs
Lageplan	site plan	plan du terrain	plano del terreno	pianta	dēlīneātiō +situālis [2. J.W.Fuchs, Lexicon Latinitatis Nederlandicæ Medii Aevi, p.2114]
p.248 Schwimmbecken	pool	piscine	piscina	piscina	natābulum, -ī n. [APUL.for.16; IUL.VAL.2,9]
Freistehendes Schwimmbecken	above ground swimming pool	piscine hors sol	piscina elevada	piscina fuori terra	natābulum *supersolāneum [Scheller/Ruhnken, LexiconLatino-Belgicum auctorum classicorum, t.2, p.1527: supersolaneus,-a,-um, i.e. qui est super solo. Fest. in Subsolaneae; cfr subsolaneus]
Skimmer	skimmer	skimmer	skimmer	skimmer	*dēsuctrum, -ī n. [PALLAD.1,9,4;37,2 desugere, desuctus]
Filter	filter	filtre	filtro	filtro	cōlum, -ī n.

Pumpe	pump	pompe	bomba	pompa	antlia, -ae f.
Stütze	upright	montant	montante	montante	fultūra, -ae f.
Wand	wall	mur	muro	parete	pariēs, parietis m.
Eingebautes Schwimmbecken	sunken swimming pool	piscine enterrée	piscina enterrada	piscina interrata	natābulum +interrātum/ *insolāneum
Stufen	steps	escalier	escalones	scalini	gradūs, -uum m.pl.
Überlauf	discharge outlet	buse refoulement	boquilla de vertido	scarico	*redundāculum, -ī n. [cfr spiraculum]
Unterwasser-Strahler	underwater light	projecteur sous-marin	foco subacuático	faro subacqueo	lūmināre subaquāneum
Bodenablauf	main drain	bonde de fond	desagüe de fondo	scaricatore	dēfluviū fundī
Sprungbrett	diving board	tremplin	trampolín	trampolino	suggestus dēsultōrius
Badeleiter	ladder	échelle	escalera	scaletta	scāla natābulī
Becken	diving well	fosse à plonger	vaso	vasca per immersione	alveus natābulī
Skimmer	skimmer	skimmer	skimmer	skimmer	*dēsuctrum, -ī n.

**Haec vocabula domestica
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

Proxima pars sequetur: VOCABULA DOMESTICA (II)

